



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Præfatio generalis de Sanctorum cultu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)



PHILIPPI  
EPISCOPI EY-  
STETTENSIS

PRÆFATIO GE-  
NERALIS DE SANCTO-  
RVM CVLTV AC VENE-  
RATIONE.



ONDIGNVM planè apud uni-  
uersos sacrosanctæ matris Eccle-  
sia filios, ac fidei domesticos fore  
perhibetur, vt quos Deus præ-  
uenit in benedictionibus, concedens eis præ-  
gustationem dulcedinis gratiæ, quæ est electo-  
rum in via; ac satians eosdem fructu iustitiæ,  
secundum diuitias beatitudinis & gloriæ, quæ  
est Sanctorum in patria; nos qui sumus de  
coetu fidelium, pijsimo cordis affectu, tales &  
tantos, tales, inquam, merito, & tantos præ-  
mio

psal. 20.

sanctorum me-  
moriam colen-  
da.

mio amplectamur, & magni conatus diligentia, veneratione, laude digna glorianter prosequamur. Hos n. Dominus amavit & ornavit, ac in laborib. suis honestavit, inueniens eos dignos se, cui<sup>9</sup> dignationis gratia dilecti Deo & hominibus iure soli & poli meruerūt, ut ab vniuersitate militantis Ecclesie dignè venerentur. Horum namq; nomina scripta sunt in caelis libro vitæ perenniter annotata. Unde relinquitur, quòd ipsorum pia commemorationis reminiscencia frequenter interris, & tãta inscriptionis virtute arctius cordibus nostris commendata, indelebiter nullius obliuionis interuentione obfuscetur. Item quorum presentia apud angelicam dignitatem est in honore, decet ut eorum memoria apud homines in benedictionibus habeatur, iuxta illud præclari doctoris Ambrosij verbum: Dignè in memoriam vertuntur hominum, qui ad gaudia transierunt Angelorum. Et rursum: Sanctorum festiua solennitas concentibus Angelorum, & applausu mutuae sodalitatis omnium Sanctorum continua in superna Hierusalem hymnizatur.

Sap. 10.  
 Sap. 3.

Dictum S. Ambrosij.

tur. Ex quo conuenienti consequentia colligitur, ut eorū temporalis celebritas apud nos, ut possibile est, iugiter peragatur; & quod minus est, saltem annua deuotione per nulum modum negligatur.

Quomodo nomine ignotos Sanctos honorare liceat.

Et quia singulorum Sanctorum merita sub speciali titulo laudis omnibus hominibus non innotuerunt, consultum censetur, ut saltem communi praconio gloria non fraudentur, sed sub numero Martyrum, Confessorum, vel Virginum deuotè inuocentur, & ex eorum deuotione dignè honorètur: vel si non singularius specialiusue agnita sint eorū merita, & meritorum pramia, saltem generali celebritati omnium Sanctorum laudabiliter inferantur.

Quid sit gloria.

Charitatiuè pensandū est, Fratres charissimi, quā gratiosi fuerint in uita, quorum mors in conspectu Domini legitur pretiosa. Item cum gloria sit clara cum laude notitia, dignum duximus, ut Deo noti, & hominibus ex operatione uirtutum notificati, dignè ac laudabiliter glorificandi sint.

Quid honor.

Praterea si honor est exhibitio reuerentiæ in

in testimonium virtutis, multo honore praeferendi sunt, qui in hac vita mutabili inuicta virtute permanserunt. Hi namque sunt, qui in hac valle tenebrarum degentes, luciformi exemplo bonae cōversationis, & efficax documento sanctae praedicationis, huic mundo salubriter illuxerunt; & aedificantes pariter & fructificantes in populo Dei; & pro tempore sui incolatus militantem Ecclesiam instaurarunt, & sua gloriosa assumptione super caelestem curiam, id est, triumphantem Ecclesiam laetificantes introierunt in potētias Domini, nunc potentiores ad impetrandum ea, quae sunt virtutis, atque aeternae salutis, ita ut in dubiis certificati, in aduersis confortati, in prosperis laetificati, patrocinio intercessionis eorundem iugiter gloriemur.

Hi namque sunt, qui secundum admonitionem Apostoli, sobrie, iustè & piè in hoc seculo perdurarunt, expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Nam hi temperatissimam moralitatem in seipsis custodiebantur; iustissimam legalitatem, quo ad alios regebantur;

*Tit. 2.*  
*Qualis Sacerdotum vita.*

B

pissi.

piissima Theologica virtute in Deum, ut permisit humana fragilitas, iugiter ferebantur.

Hebr. 11.

Item aduertendum est, Fratres dilectissimi, quam reuerentiali studio honorandi sunt, qui Ecclesiastici gregis quondam ductores, doctores & pastores fuerunt: nunc autem intercessores, & in futurum eosdem expectamus iudices. Et hi omnes testimonio fidei probati, memoria iustorum, que eterna est, non immerito dignificantur, inuenti in Christo IESU Domino nostro, cui est honor & imperium in secula seculorum. Amen.

INCIPIT PRÆFATIO EIVSDEM PHILIPPI IN VITAM SANCTI WILLIBALDI EPISCOPI & Confessoris.

S. Willibaldus,  
ab omnibus  
colendus.

**I**X his que charitati vestra, Fratres charissimi, de communi veneratione Sanctorum prælibauimus, liquidò clarere potest, quomodo B. Willibaldus Aureatensis Ecclesie Præsul eximius, in S. Pontificum numero laudabili, & merito ineffabili refulgens, à cunctarum linguis nationum, quibus tatum sancti-